

ros reipublicæ traditurum, modo sibi purgandi jure criminis facultas ne intercludatur. Neque tamen ut sententiam Patres mutarent, impetrare potuit: qui ad eum tertio post die miserunt, moram in urbe diutius ne traheret. Is etiam, quo ad urbe discessit die, Joannem fratrems ad Patres misit, quibus se ab eo conveniri non est visum. Post hæc dum induciarum Aquitanicarum tempus labitur, Hercules ad urbem venit, Principem & Patres salutatum, rogatumque ut Ferdinandum filium suum in equitatu reipublicæ vellent esse: quod quidem ei Patres liberaliter concederunt, equitibus cataphractis alendis centum stipendio adolescenti per Senatum attributo.

Quod autem ad Pisanum bellum attinet (ut eodem sacerdote revertamur) is quidem annus & pro parte insequens nihil prope, quod magnopere memoratu dignum esset, habuerunt. Missi ad Florentinos per Triturritam commeatus in tam magnis navibus, ut eas aggredi naves reipublicæ non sint ausæ. Capti ab eorum exercitu milites Veneti centum, & exuti armis. Conscripti ab eisdem equites levis armaturæ tercentum, qui sagittis contra Græcos uterentur: atque ii eorum impetus admodum represserunt. Ob id ab Senatu equites ferreis cum fistulis ad exercitum missi, & item Græci submissi: cataphracti quoque equites conscripti novi, dilapsis veteribus. Qui Pisarum portas custodiebant, iis addita ab Senatu stipendia, ut studiosiores suo in munere obeundo essent. Misericordia etiam ad Senatum Ludovici nova legatio, quæ ad componendas Pisanorum cum Florentinis controversias Patres hortaretur: præstare eos Florentinis attribui, quam bellum diutius alere: omnia in Italia pacis & quietis plena momento temporis futura, si Pisæ restituantur. ut non tam commutata illius tempore aut eventibus consilia viderentur; quid enim tum novi? quam semper illum id unum spectasse palam fieret, ne respublica eo municipio potiretur. sed nihil plane ultra: aliis vero de rebus perpaucis.

*Pisanis belli
continua-
tio.*

Navis reipublicæ longa ex earum genere quæ ad mercaturam